

Cracov. Stud. Univ. Jagell.
Promotiones Philos. Ord.
1694.



Kozłowski Thomas Cantii: Dodona Academica Cracoviae donata Palladi –





DODONA
ACADEMICA,
CRACIÆ DONATA PALLADI,
SRZENIA VIARVM
secus decursus aquàrum
PLANTATA,
atq; in Florentissimis Nominibus
XIX. VV.DD. Primæ Laureæ Candidatorum
ad primos Veris ethesias; Laureati Honoris folia
EXPLICANS;
dumq; in Generali Regni Schola,
PER
Clarissimum, & Admodùm Reverendum Dominum,
M. GABRIELEM
PROFECKI,
Philosophiæ Doctorem, Collegam Minorem,
Eloqu: Ordin: Professorem, Præpositum Rimanoviē:
In lectissima Magnorum Hospitum & Academici Senatûs Coronâ,
Artium & Philosophiæ Baccalaurei,
ritu Solenni crearentur,
in vim Benedictini erga Vniversitatem candoris,
A
F. THOMA CANTIO KOZŁOWSKI,
Professo Tynecensi, Ordinis S. BENED: *eiusdem Laureæ Candidato,*
Poëticâ Hippocrene
IRRIGATA.
Anno quo Mundus sub Arbore deletam ex Arbore legit salutem,
1694. Die Mense

CRACOVIÆ, TYPIS VNIVERSITATIS.

In Illustrisimum Srzeniavam,



QVid pretium Gangis dives quid nomen Hidaspis
Commemorem! aut Indi littora fulva Padi
Exsuperat SRZENIAVA Tagos LUBOMIRSCIUS undis,
Pactoliq; suo fonte fluenta præit.
Hinc Princeps Lauros nostras permitte virere,
Laurea fit Lymphis, prima secunda Tuis.

Ignatius de Rudziewo Rudziewski,
Pocillatorides Braclaviensis,
Dialectices Auditor.

ILLVSTRISSIMO,

& EXCELLENTISSIMO DOMINO,

D. JOSEPHO

COMITI in Wiśnicz & Iárosław

LUBOMIRSKI,

S. R. IMPERII PRINCIPI,

CVRIÆ REGNI MARESCHALCO,

Sandomirieñ: Zator: Niepołom: &c. &c.

C A P I T A N E O,

DOMINO & PATRONO FAVENTISSIMO.



Eleſpontum, à temerario Xerxis tumore catenatum, ne mirere. ILLVSTRISSIME & EXCELLENTISSIME DOMINE. *Prudentior Iagiellonici Apollinis, & Tynecianæ Familiæ auſus; quæ Gentilitium* SRZENIAVAM *Tuum, Academicis vincire laureis, & Dodonæo cingere luco, non vano omine cum Cracijs aggreditur, Camœnis. vt non ſoli tantùmmodo Gradivo, inter bellorum incendia æſtuanti, de Tuo ſitimq; famamq; liceat levare torrente; verùm ipſe etiam, in literarijs ludis, Olympicos colligens pulveres Delius; gemmifero Tuo aureum lavet amne crinem. cui ſi Aganippea deeſſet vnda, non dulces Regum Perſiæ lymphas, non Eridanos, aut Limpidum Solaris fontis ſpeculum: verùm perlucidum Aviti Torrentis Tui cryſtallum; pro aurea Cracio Heliconi, cum Muſis Sarmaticis, haberet ſcaturigine. Littus arare tantùm in ampliſſima Fluminis Tui ripa minimè formido: quod avaro Thracij cruoris Poloni Martis ferro excultum: auream laurearum meſſem, vberes palmarum manipulos, Poloniæ germinavit. niſi forte illud excolere vel ideò inane putatur; quia littus hoc, tot æviterna famæ auguſtalia,*

vetatæ monimenta virtutis, sublimes Obelisci, Herculeis æmula columinibus saxa, Invictæ Fortitudini erectæ Statuæ occuparunt. vel ideò SRZENIAVIAM excolere ripam, littus arare putatur; quia continuis irrigata cathaclismis: sponte suâ, nullis hominum cogentibus ipsa, tranquillas beatæ pacis Patriæ tulit olivas. naufrago hosti ferales porrexit cupressos. per fluenta namq; hæc, velut per Lethæum amnem, ad generum Cereris, non siccâ morte Gelonus enatavit, quippe si Bysantina Cynthia, curiosiùs sese, & adamußim, in LVBOMIRSCII FLVMINIS *Speculo exploraverit, nihil aliud spectare poterit; nisi minacem Fortunæ suæ Scyllam, cædes, funera & Eclipsim. Vtcunq; tamen, Avitus Tuus, in plures rivos deducitur amnis ILLVSTRISSIME DOMINE, & pluribus in Patriæ arua & Ecclesiæ Lilieta exundat ostijs, vtcunq; Littus Tuum præ trophæorum frequentia, & arcuum triumphalium magnitudine imperuium, in angustas degenerârit Thermopylas; non tamen hic Dodonæo luco, & locus deerit & rivus. quem vel ideò Diviniori impletum Entheo noveris; quia Te sibi optat Apollinem. ideò loquacem; quia ad vndæ lene murmur Tuæ fletit. ideò fatidicum; quia non sub ænigmate & Paradoxo, fatale semper Tauricano Oedipo prædicit naufragium. Vbi Gentilitio SRZENIAVÆ Tuo, Dodonæum donavi nemus: nec contra superstitiosam antiquitatem: quæ Dodonæas arbores, nonnisi in vsus Deorum convertebat, nec contra* Benedictinam *NOMINI LVBOMIRSCIO obligationem peccavi. quia cum omnes sint, qui FLVMEN Tuum Numen habere putant; ego verò pro inquilino Numine; Tuum illi inesse Nomen existimo. Orpheum Te suum noverit SRZENIAVA ILLVSTRISSIME DOMINE, Sylvam ad Te traxisti Dodonæam, si quis autem ad Coronidem Nominis, saxa Tibi aut trahenda aut movenda postulaverit: en ecce Tynecianæ rupes, in Tui Nominis saliunt venerationem. quæ vberiùs ab Illustrissimo SRZENIAVA, quam à suo Ægyptus Nylo alluuntur. Eccur erudito Dodonæo nemori in aurifero littore Tuo desit locus? cùm FLVMEN Tuum tantæ vastitatis existat, vt Tyneciana Tempe & Visnicenses Alpes in fluctibus suis pro fortunatis habeat Insulis. Carmelo ELIÆ, & Caßino BENEDICTI, alendo huic, ne frustra Magnum IOSEPHI iactaret Nomen, alluendo illi, vt suam Orbi monstraret magnitudinem. Oceanum palmo metiri contenderem, si Gentilitium Pactolum Tuum, vel inde tamen amplitudinem illius conijcio; quia cùm Tynecensem Hymettum suis ab aliquot*

lustris

lustris illustrasset splendoribus; vel vsq; hodie, medium in aurea sua tenet tempestate, eosq; tenendum; donec Patrius, Tynecias, lambet Vistula cautes. Stridens Aquilone procella, literariam in littore Tuo Dodonam minimè terret; quippe Halcionis supplens vices, in SRZENIAVIIS nidificans vndis, AQVILA RADIVILIANA, tranquillam ei ominatur malatiam. Ne velut ex Sylvis, Eremi Benedictinæ Colonus, ad Te veniam Dodonæum fero nemus; quod Ioui sacrum antiquitas; IOSEPHO dicatum Tyneciana vult propensio. Siluestre tamen munus in nemore ne dixeris? Academicum est. iuuat namq; syluescere Academum, in gemmifero littore Tuo constitutum; qui SRZENIAVIIS irrigatus fluentis; ex quolibet ligno Scipiones Poloniæ dabit & Mercurios. vel inde FLVVIVM Tuum nauigabilem & magnis non imparem Onerariis Orbi demonstrabis: si Dodonæas arbores, auitis Tuis trahi fluentis, permittes. nisi forte illis propter limphæ Tuæ venerationem, in littore stare conveniat. Eridanum si dicerem natiuum Flumen tuum, Benedictinum me demonstrarem: quia benedicerem. non unus namq; hîc, Tauricanus Phaëton, Orbem in Æthnam, Europam in Vesuuium, dolendâ Metamorphosi conuertere cupiens, fulmine Virtutis LVBOMIRSCIÆ tactus, submersus est Gentilitius SRZENIAVA Tuus, quamvis plenos decorum & meritorum in Patria iactet cathaclismos; vt ei aliquid adstruendo decoris, vnda ad Oceanum deferri videatur: non tamèn superuacaneum omnino duxi; secus crystallinos illius decursûs, Lucum plantare Literarium. vt cognata SRZENIAVIIS fluminibus Academica nemora inde pateat. Cum literaria Dodona vmbras nativo porriget Flumini, Splendores & decora minimè obumbrabit, namq; alij quod minime luceant à Luce tantum Lucus præsens dicitur. Quem haurit Tynecia, hodie Fluvium coronat nec virentes tantum frondes, sed totas læta defert arbores: ex quibus gloriosa Nomini Tuo assurgant trophæa & quidquid demum volueris fient. loquaces namq; sunt arbores non silices; nisi forte. flumen Tuum rigentia etiam saxa emolliat; fontibus æmulum thaumaturgis. Dodonææ arbores, dum hodie literaria inclinant cacumina: in arcus Tibi sinuantur triumphales. A fluminibus vicinis arbores vndam, ab arboribus vmbram fluuios recipere, vel ille ingeniosi Appellis denotat pennicillus; qui vtraq; sic inscripserat. Vndam mutuantut & vmbram contrarium tamen in FLVMINE Tuo experiri licet: vbi & benevolentiæ vndam, & protectionis vmbram à Gentilicio SRZENIAVA, nemus expectat Dodonæum, vt nobilius laureati honoris folia explicet quippe nec ipsa Virorum & Victoriarum fæcunda Parens Polonia, fertilis palmarum & laurea-

laurearum Campus, à Splendidiſsimo cæli Orthodoxi Sole audiſſet in FLVMINE LVBOMIRSCIO fuiſſet irrigata. quod poſt effuſum Thracium cruorem, poſt patratas pro Patria cædes, inſpumantem Sanguine degeneraſſet Rubiconem, ni in illud niuei moris atq; candori Tui oſtia conſluxiſſent Fortunæ fluuium dicerem, ſed virtutis eſt cui pro inquilino vnâ Tecum adeſt Numine. Laureati honoris folia, Academica hæc quam acclinem Tuo Nomini ſpectas Dodona, nunquam explicuiſſet ni eam Auiti Fluminis Tui & gratia irrigaſſet & lympha quippe Lechico aſſerente Homero Biezan:

Fonte carent ſiluæ marceſcere cuncta neceſſe eſt
Floribus ac plantis vita virorq; cadit.

imò nec ſola folijs literarijs Dodona, ſed & Benedictina Tempe Aſceticis non exuberaſſent floribus, niſi eis pro Nylo SRZENIAV Aſtetiſſet Illuſtriſsimus. quippe hodie eruditi Heliconis æmula cùm vndis SRZENIAVIIS literariam iactant Aganippen nec amplius fonte Tuo perfuſa rigebunt; niſi ideò; vt inſcriptum ſuis Saxis LVBOMIRSCIVM Nomen, æternitati conſeruarent, durum induent adamantem. Victorem Te mentium experior ILLVSTRISSIME DOMINE herbam Tibi nihilominus porrigere erubeſco vt par virtuti, magnitudini, & laudibus tuis offeram munus; non herbam ſed totum nemus Tibi & porrigo, & proſterno Dodonæum, vnâ mecum qui ſum.

Illuſtriſſimæ & Excellentiſſimæ
Dominationis,

Indignus coram Domino Exorator,

F. Thomas Cantius Kozłowſki
Mon: Tyn: Ord: S. Benedicti,
Primæ Laureæ Candidatus.



A R B O R I

In Academico Parnasso enutritæ,
In Ecclesiæ Paradiso Sublimi,
In Cælesti Olympo Coronatæ,
vbiq; gloriosæ,

D. J O A N N I
C A N T I O,

Regni Poloniæ & Vniversitatis Cracov:

T V T E L A R I,

è DODONA Literaria Donum.

PINUS ante Imperatoris Cam Regiam, auro illigata; è qua vndecùnque pendent rami gemmis vuarum modo referti. *Oder: L. 1.*

INSCRIPTIO,

O dilecta Diuis, ô Magni Cæsaris Arbor, Mart.
Perpetuos sperare licet tibi frondis honores,


Vâ riget sæuæ rabies pruinæ,
Quâ procellosi, glacialis Arctos,
Nutrit atrocem Boreæ furorem, &
Bella Notorum.
Quâ iocos molles Zephyri tepentis,
Explicat risus; teneriq; spirant
Halitus Euri, renouantis agros,
Fertilis Hyblæ:
Splendidum Sidus, gemino sub axe,
Ignibus clarum rutilas, Lechæo
Suscitans Orbi Cynosura flammas,
Inclyte Canti.
Hâc tuum Nomen comitata centum
Plausibus, vulgi famulantis aurâ
Deuehit curru, celebratq; mille
Fama trophæis

Te renaſcentis colit ora Solis,
Et tibi lucet regio cadentis,
Flagrat æſtiuis tibi Libra cæli
Siccior horis.
Te ſuis Reges colùêre Sceptris,
Iuit acclinis Scopuloſus altis
Rupibus, Regum tumidus coronâ, &
Sede Vauellus.
Te Sonat vernis ſtimulatus vndis,
Prodigus laudum, calidis ſolutus
Imbribus, cenſumq; vehit ſupinis
Viſtula ripis.
Inde victrices coière turbæ,
Et tuum palmis cumulant ſepulchrum,
Hinc ferox ceſſit poſito Gradiuus,
Mitior enſe.
Teq; Cocyti piger inquilinus
Senſit, & mortis rubuêre manes
Ad tuum Nomen, didicitq; plane,
Viuere lethum.
Pallidis circum redimita curis
Et fames ceſſat; trepidis abacta
Vrbibus clades, procul eſt egeſtas,
Rauca querelis.
Tu minas cæli populo nocentes,
Temperas: Terris inimica frenas
Aſtra; ne proſtent habitata raro
Regna colono.
Hinc ſalus caſtis remeauit auris,
Inſidens altis equitat Fauonî
Te duce, & Vitam medico uolatu
Vrbibus afflat,
Muneris tanti memor Orbis iuit
Supplici vultu; vitreiq; potor
Viſtulæ, pronus tibi dedicatis,
Accidit aris.
Diuitis venæ ſpolijs onuſtas
Erigit moles; opulentioris
Et tibi tellus ſatiata mittit
Lucra Metalli.

Hinc

Hinc ferax fructus pretiosioris,
Et nemus nostrum tibi seruit vmbris,
Et rogos sacros alitura, Pinguis
Victima Pinus.
Grando Gemmarum resonat perenne
Frondibus pendens, super orbe Nomen,
Ipsa te Pinus veluti trophæum
Nubibus æquat.

CLARISSIMIS, EXCELLENTISSIMIS, & ADMODVM REVERENDIS DOMINIS,

DD. EXAMINATORIBVS,

Clarissimo, Exceentissimo, & Adm: Reuerendo Domino,

D. M. BASILIO PLASZCZEWSKI,

Philosophiæ Doctori, Collegæ Maiori, Ecclesiæ Collegiatæ S. ANNÆ CANONICO, Ac interea Artisticæ Facultatis DECANO.

Clarissimo, Excellentissimo, & Adm: Reuerendo Domino,

D. M. IOANNI BALICKI,

Philosophiæ Doctori, Collegæ Majori, CANONICO S. ANNæ.

Clarissimo, Excellentissimo, & Adm: Reuerendo Domino,

D. M. GABRIELI PROFECKI,

Philosophiæ Doctori, Collegæ Minori, Præposito Rimanouiensi.

PLATANVS AC VITIS AVREA,

à Pythio Bithynio, Dario Regi donata. *Herodot. L. 7. c. 4.*

INSCRIPTIO.

Ergo non hyemes illam, non flabra nec imbres
Conuellunt, immota manet. - - - - *Virgil;*



Bsiste, Vulgi fama, loquacibus
Narrare curis, docta Quiritium
Musæa, palmas, porticumq;,
Socraticis caluisse rixis.
Exæstuantûm prælia mentium
Cessant, quieto strata Silentio,
Stagyra componit minaces
Dissidijs animos & irâ.

Stat eruditi gloria concili
Suspensa, doctis percita iurgijs,
Pugnaxq́ verborum duellum
Ausonijs tacuit Palæstris.
Ter retro mouit gurgite vitreo
Eurippus undas, ter tenuit uagas
Errore lymphas, terq́ opacus
Attonitis Academus vmbris.
Lucus profanis inuius ocijs,
Nigram comanti sustulit ilicem
Ceruice, Parnaßiq́ colles,
Laurigeris stupuère syluis.
Quandò modestæ PLASZCZEVIVS Togæ
Præses, corusco uectus in essedo
Famæ per auras: Tersioris
Ingenij moderator. Altis
Edicta promit Doctor ab exedris
Sacrata, ponit frena piaculis:
Compescit iras: & frementes
Ambiguis fluitare causis
Deprœliantum non patitur diu
Turmas. Anhelis præmia frontibus,
Partitur, insignesq́ palmis
Præcipitat sine cæde pugnas.
Hinc te uetustis Græcia posceret
Supplex Athenis, & tibi cederet
Delphis Apollo, te secundum
Attica BASILIVM foveret.
Et te BALICKI non popularibus
Iactat trophæis gloria Nobilem,
Per regna inaccessumq́ montis
Carpathij facit ire callem.
O Literatæ sidus adoreæ!
Centum laborat iam tibi plausibus
Exedra, iuratisq́ stipat
Palladiæ comitatus aulæ.
Lætus choreis. Te Iagellonicis
Clarum Palæstris gestit honos Sacra
Ornare lauro, te Minerua
Romuleis redimire vittis,

Gaude

Gaudet merentem. Iam Latij minor
Cupit videri, Tullius eloquî
Dùm lene labentes diserti
Ore tuo saliére riui.
Te Laureati Nomen amabile,
Ciuem Senatus, fama fauentibus
Clamauit auris, te quietis
Adnumerare Togis Quirites
Votis recensent. Tu teneræ arbiter
Palmæ, triumphis nobilibus, decus
Decerne sudantemq; frontem
Emeritâ religa coronâ.
Premamne pignus Palladis inclytum
Obliuiosi nube silentij?
Nec sera te discet PROFECKI,
Pindaricis geminare plectris,
Ætas nepotum? vistuleus tibi
Laudum Carinis, pronus in æquora
Labetur amnis; te sonoris
Audiet Oceanus Procellis.
Iniuriosi quid paueas fugam
Fati nocentem, nominis in tui
Famâ, futuri certus æui
Mercurius celer atq; vates
Ibis; volucri Nominis impetu,
Canas per Alpes, & niuibus graues,
Ossamq; Calphemq; & remotus,
Meta tibi scopulosus Atlas.
Tu pectus alti consilij geris,
Diuesq; veri: tu stabilis vigil
Custos honesti; te fidelis
Candor habet niueumq; decus.
Tu Craciana gloria Palladis,
Gemma es Camœnis, dignus Apollinis,
Vates, Cytheronisq; fama, &
Pyerij dominator antri.

I. V. & A. R. D. MARTIANO JARYSZEK. Presb: Regii Monasterij Tyn. Professo.

Arbor Hermopoli in oppido Thebaidis sita; quæ Christum in Ægyptum fugientem prono in terram vertice adorauit. *San. 15.*

Inscr: *Mobile cor nullâ potis est requiescere sede,*
Vnus ei centrum nam DEVS vna quies. Hest.

INclyta laurigeri rupes Tynecia Pindi
Eia age lætanti noua gaudia concipe mente.
Alma Casimiri primi Plantatio Regis
Nunc peragas lætos plausu festiua triumphos.
Gloria prisca redit redeunt Saturnia Seclâ,
Atq; redux doctrina virûm, laurusq; vetustæ
Incipiunt vernare nouo de germine Mille
Gaudia, vel Solus confert tibi Martiianus.
Prodidit hunc clarus doctis Alemannicus Orbis,
Et plenum pietate virum Studijq; tenacem,
Ad Benedictinas genius tulit Entheus vmbras,
Virtutum radijs doctrinæ luce coruscus
Vt fieret flammas inter præclara minores.
Cynthia. Mysta Deum manibus portare Sacratis
Electus: mansueta suo de pectore cunctis
Depromens exempla: sui bonitasq; decusq;
Augustum mentis Superis placuere. Profundo
Arbos Hermopoli veluti dum vertice Christum
Pronus adorat, eò surgit sublimior inde.
Nam omne Sophi munus peragit certamine dextro
Ardua Peripati soluensq; Sophismata docte,
Ingenio celso pertingit ad omnia. Nouit
Naturæ secreta, modos viridaria flores
Herbas & frutices, peramæno vere ridentes,
Necnon Alcinoi callet decus arte colendi.
Ergo pro meritis frontem viridante corymbo
Doctam stoa Craci dum lætabunda coronat,
Hanc vernare cupit maiori semper honore.

III. VD. GABRIELI OCHOCKI Crac.

Arbor in Insula Pudiferania quæ si quis ad eam accesserit in se folia colligit, illo abeunte ramos explicat. *Nic. de Com:*

Inscr: *Miræ est anonymus naturæ planta manuq;*
Tacta, statim retrahit sese & constringitur vnâ.

ET tibi Præses Heliconis almi
Cynthius, doctis alacri triumphis
Quanta festiuo resonare plausu
Encomia debet?
Ut tuam doctam redimire frontem
Possit & celsam decorare mentem.
Quanta Dodonæ dabit è Sacrato?
Præmia luco.
Inter augustos Cracidum Penates,
Ortus es Magno meritis Parente,
Regiæ quondam celebri Senatus
Fascibus urbis.

Ortu

Ortus es docto Lechiæ Galeno,
Cui nitor mentis, pietas & ingens
Dogmatum praxis fuerat medendi,
Suadaq; dulcis.
Es trium Fratrum decus & Corona,
Maior & natu, & pietate maior,
Est cui recti studium vigorq;
Omnis honesti.
Ergo cum mentem docilem probato
Artium cultu Sapientiæq;
Pectus ostendis cupidum boniq;
Æmulus extas.
Arborem dono capies pudicam,
Colligens pulchri folium pudoris,
Explices fructus quatenus feraces
Laudis opimæ.

IV. V. D. JOANNI OCHOCKI Crac:

Balsamum arbuscula aromatica frequens in montibus in bina cubita tantùm excrescens.

INSCR: *Plena voluptatum congessit aromata virtus,*
Surgeret ex illis vt mihi gratus odor. Biezan.

DOctrina cum vim promovet insitam,
Rectiq; cultus pectora roborant.
Virtutibus magnis abundant,
Parua licet, superantq; summa.
Non molis amplæ, sic Academicus
Te cernit Orbis. sed probitas virum
Ostendit Ingentem probatq;
Ingenio facili decorum:
Amica Musis mens tua Lauream.
Labore Magno promeruit sibi
Dum calle duro callet ire, &
Prêndere Palladios honores.
Te suada dulcis quam cupidè colis
Adornat almâ laudis adoreâ
Et Tullium spondet futurum
Eloquio celebrem diserto.
Procede faustis ominibus Patris
Imago docti, Pegasidum decus
Fias, vt in Craci Lycæo,
Balsama funde bonæq; famæ.

V. V.D. DOMINICO HEPNER Leop:

Arbor in Hircaniæ conuallibus ex qua mel fertur fluere. *Pl: Lib: 12*

INSCR: *Et mihi sub tenero cortice mella latent.*

O Spes Maxima Roxici Leonis,
O Custos Sedulus Craci Mineruæ!
HEPNER, *melliflua trahens ab ora*
Claram progeniem decusq; dulce.
Suavis Castalii Imperator Almi
Catûs, quando tuo fluens ab ore

Mel gratosq́ capit favos, Hymettos,
Hyblas, nunc avido aurium palato
Facundæ bene ruminatq́ suadæ.
Reddit mella tibi refundit atq́
Nectar quod placidis beata stillis
Hyrcanæ regionis arbor affert
Dodonæ Craciæ novos honores
Tam largo tibi traditos fauore
Nunc maioribus vt beet secundis
Te Successibus augeatq́ Numen,
Optant hoc animis bonis Camanæ.

VI. VD JOSEPHO CANTIO MAIERANOWSKI,

Cedrus Summæ proceritatis vsibus Deorum seruiens.

INSCR: *Vertice Libani Cedros vernare perennes*
Nouimus hic illis dulce placensq́ solum. Biezan.

SVblimi feriens æthera vertice,
Et nunquam saturi maxima temporis
Victrix, vsibus olim superûm Sacra
Cedrus perpetuo virens.
MAIERANOVIæ dat mihi symbola
Mentis, limitibus nescia claudier
Est cuius probitas, sed superans humum
Sedes sidereas petit.
Musis ingenuis nam pietas, manens
Strictis in niueo pectore vincuis
Tam deuicta, pati non potuit soli
Claustrum, tendere sed poli
Ad celsum nitidi prona palatium.
Mystes unde pius Numinis optimi,
Aris innocuus Christiadûm Sacris
Assistet, meritis potens.
Depellet cariem mentibus, vt magis
Vernet, pectoribus terrigenûm timor
Divûm, cana fides regnet in omnibus,
Exemplo faciet suo;
Ore & mellifluo tum calamo valens,
Immortale sibi nominis inclyti,
Augustumq́; decus quod pariet, sacer
Augur Cynthius est Craci.]

VII. V. D. DOMINICO KLISZOWSKI.

Arbor in noui Orbis Hispaniâ, quæ adusta, non fumum sed gratum emittit odorem *Petr. M.*

INSCR: *Hanc -- Fons Againppeâ Parnassidos educat vnda.* Claud:

QVi patiens Sapiens antiqua Oracula dicunt,
Quodque labor genitor semper honoris erat.
Magnis magna parantur, Eum victoria dextro
Hercule prosequitur, qui bene bella gerit.
Qui primò scit vincere quam vincire coronâ
Tempora, is auratis curribus inuehitur.
Hoc tu KLISZOWSKI *Diuorum munere præstas*
Nam tibi dat solidus laurea serta labor.
Ingrediens victor Capitolia celsa Academi,

Palladis

Palladis Athletes prælia docta geris.
Doctus Aristoteles Sapientum Dux, in arena
Contra tela Sophûm te videt intrepidum.
Cum Cynea superas animos dextrèq; triumphas,
Nobilis ingenio, victor vbiq; manes
Nec fortuna tibi nocuit, Sanitasq; sinistra
Nec vicit fortem Magnanimumq; virum.
Ergo diu viuens vincas floreasq; & odorem,
Non fumum ligni Palladis excipias.

VIII. VD. JOANNI CANTIO FRICIO,

Arbor in noui Orbis Hispania, quæ sine igne admoto ardet, atq; inter duas arbores posita, vtramq; celeri obversatione accendit. Ovet. C. 79.

INSCR: *Meq; bene hærentem, & nimiâ levitate caducam*
Excutient nulli, qui perflant omnia venti.

VT solet cæcis tenebris solutus
Orbis, & tristes abigens colores
Noctis, ad risum remeare lætus
Solis ad ortum.
Ac velut lætâ facie, decorem,
Cuncta, vivaci redeunte sensu,
Induunt; quandò radijs serenat
Omnia Titan.
Grande sic doctis animis refulgens,
Lucis augustæ, recreansq; sudum
Mentium, nubes tenebrasq; pellit
Omine fausto.
Ornat hoc lumen, recreatq; mentem
Tuam O FRICI? generosus, omnem
Artium cultum, valido labore;
Nam bene tractas.
Hinc tibi, nullis animum procellis
Concutit mæror, tenebratq; tristi
Nube, cum gratus superis, serena
Tempora ducis.
Filium Majæ sequeris, disertus,
Et latet quidquid, genio stupendo
Tangis, hinc lauro tibi docta frontem
Pallas adorant.

IX V. D. FRANCISCO CHMIELOWSKI,

Arbor Amygdalus, quæ floret prima omnium, & in hanc arborem mutatam fuisse Phyllidem, Poëtæ fabulantur.

INSCR: *Dulce quod est pulchrum; quod pulchrum, dulce putatur.*
Nunc gustum pascens, nunc oculosq; sui. Biezan:

ARbor Phyllidis inclyta,
Quàm dilecta fuit quàm placuit Iovi!
Vates id referunt sacri.
Sed certè placuit Pieridum choro,
O Francisce tuum magis,

Cultu, Consequeris decus.
Pulcher laudis honos ex facie nitet,
Quâ spirare virum soles
Virtutis nitidæ; quæ tibi pectoris
Arcano solio sedet.
Hac ductrice viam Pieriÿ petis,
Doctus tangere suauiter
Vatis Mæoniÿ dulcisonam chelym,
Suadæ nectareum decus,
Nec non omne sophûm laurigerum potes
Exercere negotium.
De Dodona igitur suscipe fruticem,
Qui primis vireat tibi
In Luco Cracio semper honoribus.

X V. D. STANISLAO SZAFAŁKOWICZ,

Arbor sub qua Romulus & Remus nati Romanis celeberrima.

INCR: *Quæ tenera cælo virga detrunco stetit*
Par ipsa Matri, tempore exiguo subit, Seneca
Vmbrasq; terris reddit & cælo nemus.

ET te Musa suis vincit adoreis,
Nec nomen tacita præteriit lyrâ
Insignemq; tibi Martigenùm, libens
Partu destinat arborem.
Hæc arbor tenero Quiritium Sacra
Vagitu; lachrimis tincta recentibus,
Humentesq; genas prima virentibus
Tersit, frondibus hispida,
Sed Nunc, prona tuis flectit honoribus,
Sublimem viridi culmine verticem!
Frondosumq; tibi præcipitat decus,
Censûs prodiga floridi.
Æstûs illa tuos, sponte cadentibus
Vmbris iam recreet, pectus & anxium
Curis, quas animo sollicitus geris
Leni temperet otio.
Sed non ipsa suis frondibus, explicat
Arbor, Romuleæ Gentis honos, tuum
Splendorem; rutilo defluit alveo,
Fratris fama faventior,
Diua Astræa cui conciliat decus.
Decernetq; tuis lance volubili,
Optatam meritis frontis adoream
Non fato violabilem.

XI V. D. JOANNI MAIERANOWSKI,

A. Terebynthus quæ à constitutione mundi quinque millia annorum iuxta Memphim, duravit & floruit. *Ægesip.*

INSCR: *Sicut odoratæ stantes per seclà cupressi,*
Nulla senectutis signa labantis habent. Biezan:

ó Ma-

O Materanoui delicium Cracij
Phœbi! quod tibi nunc Thespiades dabunt
Donum pro meritis, quam
Fundent Laudis adoream?
Indefessus enim, numina sequeris
Parnassi, celeri nec pede deficis.
Omnes iam tibi laudes
Debentur meritò, boni
Mystæ Pegasidum. Dona laboribus,
Nouit quos Helicon, Stoaq; Lechica
Vidit, famaq; constans,
Cedris perpetuis notat:
Dona inquam superant, quæ pretium Tagi,
Quæ gazis Arabum, diuitis & Mydæ
Nunquam sunt similanda,
Pallas dat tibi Cracia.
Arbor, quam tribuit pro meritis tibi,
Orbi congenita est; nam prope millibus
Quinis, marcida nunquam
Sed semper viridans fuit.
Lentis ergo tibi secula passibus,
Volvanturq; bonis, sydera cursibus,
Viuas vt Terebynthus
Prisci tempora Nestoris.

XII V.D. STANISŁAO ODYMALSKI

Arbor in Hispaniæ gleba crescens exciso ramo lac emittens. *Strabo*

INSCR: *Fertilius crescit pluvius labentibus arbor,* Mass.
Promitq; exsertis mitia poma comis.

AD te secundis Laurus Ethesijs
Defertur, almæ culmina gloriæ
In se tenendo; sicq; doctam
Ipsa petit redimire frontem.
Nam destinauit te sacer aureis
Pridem notandum Phæbus adoreis,
Semper Cleanthis cui laborant
Sydera, pervigilesq; Soles.
Tu das disertus plurima lactei
Docte ODYMAŁSKI, flumina nectaris,
Seu Tullianos tu lepores
Pieriosq; fauos refundis.
Hæc Laurus alto candida culmine
Cum Iagelonis creuit in hortulo
Et pulchra contemnit ruinas
Ipsa virore suo perennis.
Te cingat ergo, quam neq; turbidus
Auster, nec vrit syrius ignibus,
Diris, nec horrendis iniquus
Frigoribus Boreas aduret.

XIII V. D. GASPARO IURKIEWICZ

Laurus Apollini sacra, cæli fulmina ridens bellatorum & literatorum præmium.

INSCR: *Hæc manet, hæc auidos effugit vna rogos.* Ovid:

ARenæ multos auriferi Tagi,
Multos Hydaspis gemmiferum vadum
Delectat: & Ganges remotus,
Diuitiisq; refertus Indus.

Multi beatis Brasilidum invident
Gazis, & acrem militiam parant,
Vastisq; tendunt in recessus,
Vt valeant opibus potiri.

At te eruditæ culmina gloriæ,
Et ditioris littora Palladis,
Cunctis iuvant auri metallis,
Gemmiferisq; magis fluentis.

Tu laureati cultor Apollinis,
Musis amicus: nihil nisi Lauream,
Multo merebas cum labore,
Ergo capis meritum triumphans.

Hæc, vt senectam (non sine plausibus)
Nescit, virens & fulmina despicit.
Ornatus hac sospes maneto,
Et mala nulla pericla cures.

XIV. V.D. SIMONI WROBLINSKI,

Arbor antè Constantini Regiam, ærea, inaurata, inqua plures variarum specierum aves, suæ speciei cantûs vocesq; emittebant. *Luitpr.*

INSCR: *Quis tanta in parva lusit miracula fronde?*

SVnt sua solicitum cumulant quæ dignalaborem
Præmia, virtuti splendor honoris inest.
Inserit & fastis hunc, fama potentior, omni
Fato, conatus qui tulit Herculeos.
Tu quoq; sudasti Victor stadiumq; Mineruæ
WROBLINSKI mensus, præmia digna cape.
Cæsaris auratum Magni nunc suscipe lignum,
Auspiciumq; bonis prodeat ex auibus.
Arboris eximiæ foliis, ramis, pretiosis
Fructibus, vt niteat mens opulenta tua.
Nunc vbi Pieridum Princeps, te fronde coronat
Emeritâ, & virtus, dona laborq; ferunt:
Extendas numerosa tuæ tentoria laudis;
Nobilis ingenio semper vbiq; Sophus.
Maiores habeas gradùs, laurosq; virentes,
Omine felici, Sic, mea Musa canit.

XV V.D. THOMÆ SYLWINSKI,

A. Casia, cuius radices semper profundum petunt, nec penetrare desinunt donec aquam subterraneam comperiant. *Ovet.*

INSCR - - - - *Nec longum tempus, & ingens*
Exiit, ad cælum, ramis felicibus arbos,
Miraturq; nouas frondes. Virg.

Dum

DVm tuæ pendo generosa facta.
Indolis magnæ, genijq́; rari
Docte SYLWINSKI *manifesta mente*
Æstimo signa.
Non tibi possum reperire dignam,
Dotibus magnis, similemq́; laudem,
Atq́; pro tantis meritis, probata
Præmia ferre.
Siue spinosum Logices vepretum,
Siue naturæ venis in theatrum,
Siue supremas Sophiæ penetras
Tu bene causas.
Omnibus palmam rapuisse visus,
Disputas Victor. facilisq́; fundis
Tullij nectar, cytharamq́; Phœbi,
Pollice pulsas,
Inde quot laudum cumulandus extas
Præmijs? quantis decorandus almi
Cynthii donis? tamen & Camænæ
Præmia magna
Conferunt, suauem Cassiam per omnem
Vt tuam vitam, meritis odorem
Optimum Spargas, recreesq́; Matrem
Cracidos Almam.

XVI. VD. JOANNI ALTOFF,

Oliua Mineruæ Sacra, cui folia non decidunt.

INSCR: *Bella petant alij iuuat hæc nos pacis oliua.* Mass.

NVnc celebrande venis Musis comitate Joannes,
Qui Corcinensem satagis decorare Palæstram,
Artibus atq; bonis Lechicam exercere juventam.
Servit oliua cui, Craciis quæ regnat Athenis.
In Te namq; videt, melioris lumina vitæ.
Scilicet, vt folijs monstratis vivida ligni
Virtus, & tenues mensurant flumina riui
In teneris ætas, vitæ mensura sequentis;
Parva probant; pullos implumes instruit ales;
Sic quoq; specto tuas, natas ad grandia dotes
Dum viret; & primis vernat nova planta capillis.
Nam vultum gravitas, oculos, demissio semper,
Atq; tenet placidam præclara modestia linguam.
Inde tibi citharam Phæbus, viridesq; corymbos,
Mercurius virgam tribuunt, oleamq; Minerua
Substernit: quoties audit vel verba loquutum,
Sive Sophôs, doctis post vidit vincere dictis.
Perge proin felix, tecum Fortuna manebit,
Nec dabitur tempus; tua quo marcescat oliuas.

XVII V.D. JOSEPHO RYKALSKI,

Palma Victorum gloria, quæ pressa oneribus, altiùs ire solet,

INSCR: *Celsiùs assurgens quò pondera fortius vrgent:* Plini.
Staturam decoris, promovet illa sui. Biezan:

E *Hunc*

Huc adesto Phœbe sororibus
Stipate sacris currite gratiæ
Laureatæ, palmas virentes
Ferte citæ decorando vultus.
Quanquam superbas spernit adoreas
Vanisq; non vult viuere plausibus
Virtus, profanas & Curules
Egregij socias honoris
Temnit. superno te tamen æthere
Dignum RYKALSKI *collocat, & suis*
Te Cingit Apollo coronis
Atq; beat viridante palmâ.
Dodona lucus quam sacer inclytam
Tulit nec vnquam pondera deprimunt,
Nam ponderi magno laborum
Par fueras solide ferendo.
Ergo tuorum Phæbe Pater choro
Adscribe Vatem crescat vt amplius
Ut palma summas ad Curules
Vir per Hyperboreos Triones.

XVIII V D. JOANNI CANTIO PŁOCKI,

A. Larix quæ lapidis naturam induens, ignibus nequit consumi. *Pl.*

INSCR: - - - - - - *Nec arida perdam*
Quas habeo frondes nec cæsa securibus vrar. Ovid:

NEc mea te PŁOCKI proprio silet ordine Musa,
Namq; ornat mentem docta Minerua tuam.
in paruo magnus celsam fers pectore mentem,
Attingis summum qui ratione polum.
Curia te novit doctum, Fortuna maligna
Vincere te fortem non potuitq; virum.
Dotibus egregijs formæ tu damna rependis,
In pulchroq; animo Castalides habitant.
Sic viret in medio tua semper frigore laurus,
Nec poterunt illi crede nocere Noti.
Illa tuam viridi præcingat culmine frontem,
Floreat vt celso semper honore tibi.
Tu quoque mente tuâ Laurum splendore tuarum
Orna virtutum, sic mihi Phæbus eris.

XIX V.D. JOSEPHO ALEXANDROWICZ,

Morus quæ vltima omnium floret & vocatur prudentissima

INSCR: - - - - - *si deserit Vndas.*
Planta erit illustris quæ fuit herba modo.

TE poni voluit quoquè,
Hic sincerus amor, Palladij chori
Mystis, eximium Decus.
O Præclare Ioseph? quem tener annus, à
Musarum nitido choro
Non mouit socius verus Apollinis,
Et pars Aonidum manes.
Et certe stabili pectore deditus,
Attendis studijs bonis.

Hinc

Hinc ſentire licet, quantus ades ſacræ
Turbæ Palladiæ nitor,
Craciæ, charitum gloria Laureæ.
Vlmo qui ſemel artium
Hærens continuò, vitis es optima.
Et fructus tener Arboris.
En quàm frugiferæ cultus amabili
Frondes flore ſcientiæ.
Suadæ dulciloquæ, delicium, velut,
Horti ramuſes Attici.
Ergo viue diu florida ſæcula.

II. V. & R. D. THOMÆ CANTIO KOZŁOWSKI,

Regij Monaſterij Tynecen: Profeſſo,
Primæ Laureæ Candidato,

Authori Operis.

Academicæ erga Tynecianam Familiam ſinceritatis ergò
GABRIELOCHOCKI, Crac.
ejuſdem Laureæ Candidatus, OFFERT:
Lignum, quod plantatum eſt, ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit, in tempore ſuo. Pſal. 1.

CEdunt profano carmine nobiles
Vatum Camænæ, Pierii procul
Cætus, olorinisq; claræ
Cantibus, Aonidum cateruæ.
Iam Dædalæis fila loquacibus
Pulſata plectris, muta ſilentio
Suſpendit Orpheûs, nec ſonoris
Saxa trahit ſcopuloſq; neruis.
Vatesq; doctus cedit Horatius;
Chorusq; Pindi, nec modulamine
Graio, triumphos & cruenta
Bella, Deûm Superûmq; pugnas,
Canit. Supremi ſtant Capitolij
Delubra, ſacro Vate carentia:
Non arma Romanasq; palmas,
Non Arabes, Ciliceſq; victos,
Docto renarret pollice Pindarus:
Non iam fluentes ſanguine Dardano,
Muros, Homerus nec favillam
Iliacam, cineresq; Troiæ.
Vmbroſus olim Cælitibus ſacer,
Non hoſpitalis lucus Apollini,
Non antra reſpondent Camænis
Heſperijs habitata quondam.
Teſtudo ſaxis cum Tynecenſibus
Suffixa pendet: quâ Duce Pergama
Erecta Thebis & ſequaces
In cumulum coiêre rupes.

[illegible] bibit
Lymphas Lechæus Viſtula margine,
Quem prona demirantur altis
Clauſtra iugis Benedicti: An vndæ
Admurmurantes fontibus Atticis
Cautes remulcent? ſive Aganippidum
Amnes, ſacrati devoluto
Huc gracili ſecuere rivo
Campos? opacas numine Delphico
Sanctasne Sylvas & Tynecenſia
Adorat Orbis Luſtra ſupplex
Certa petens documenta veri,
Nam quidquid auri fert opulentior
Facunda Vatum progenies; Tua
In mente KOZŁOWSKI reluxit
Ingenij potiore venâ.
Seu Laureatæ Sidus adoreæ,
Nunquam pudendo carmine tibiæ
Moliris, & ſacros labores,
Exſuperas monumenta priſcæ
Ætatis: Amnes ſeu reſeras Tuæ
Linguæ, Latinæ iam novus arbiter
Suadæ, videris, Tullianos
Eloquio vacuare fontes.
Ignara parci flumina littoris,
Exuberanti quando licentia
Ab ore KOZŁOWSKI refundis,
Sæpe tonans meliore Phæbo.
Hinc flore Graio cingit honos tibi
Frontem, & virentis Gloria Laureæ,
Te ornat coronis, ac fluentem
Fronde comam cohibere geſtit.
Hæres triumphas verus Apollinis,
Et ſtagna Cyrrhæ, & Caſtalidum nemus,
Et docta Parnaſſi Lycæa,
Semper habes tibi prona doctus,
ROSTOCIANUS Teq; fauoribus
Summis coronat Flos, viridantibus
Addens corymbis, hunc decorem
Creſcere quo valeas perennis.

SVB FELICISSIMO REGIMINE,
Magnifici, Perilluſtris, & Reverendiſsimi Domini,
D. M. SEBASTIANI PISKORSKI,
I. Vq;. Doctoris & Profeſſoris, Eccleſiarum, Cathedralis Cracovien: & Collegiatarum Vielunenſis Canonici, SS. Omnium Crac: Archidiaconi, S. R. M. Secretarij, Studij Almæ Vniverſitatis Crac: Procancellarij, ejuſdemq; Generalis ac Vigilantiſsimi
RECTORIS.